



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 1. Leporam olim fuisse pœna[m] peccati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

CAPVT IX.

*Punitorum monstrosa lepra, & monstro-
sa statua, è diuinis litteris ex-
plicata.*

§. I.

Lepram olim fuisse pœnam peccati.

Monstrosos vel homines, vel mor-
bos, ex Numinis pœna extitisse
diuinæ quoq; litteræ testantur.
Nam inprimis fecit signa atq; prodigia ma-
gna & pessima in Ægypto, contra Pharaonem; Deut. 6.
22.
quæ nolo hic repetere. Deinde in eodem
veteri testamento lepra fuit flagellum, quo
Deus rebelles atque eos, qui superiores
maximè Ecclesiasticos contemnebant, per-
cussit. Sic enim rex Ozias, cùm vellet, in- 4. Reg. 15.
5.
uitis sacerdotibus, incensum adolere, lepra
percussus est. Sic Eliseus Giezi mentienti 4. Reg. 5.
27.
dixit: *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi,
& semini tuo, vsq; in sempiternum.* Sic Ma-
ria perfusa est lepra, quòd contra Moysen
murmurasset. Immò hoc ipsa lex monuit
his verbis: *Observa diligenter, ne incurras
plagam lepra, sed facies quacunque docuerint
te sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod
præcepi*

præcepi eis, & imple sollicitè. Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Maria. Vbi obseruant authores, tametsi lepra sæpe sit morbus, siue vitium naturale, tamen sæpe etiam ex speciali Dei prouidentia fuisse Iudæis immissam, maximè autem ad grauiora eorum peccata punienda. 1. Marmoris & rebellionis, vt Mariæ sorori Moysis contigit. 2. ob simoniam, vt Giezi euenit, pro sanitate diuinitus Naaman data, munera accipienti. 3. ob homicidium, ob quod Dauid Ioabo Abner occidenti lepræ est imprecatus. 4. ob sacrilegium, ob quod Ozias rex sacerdotium vsurpans atque incensum adolere, & vt dici solet, *in patellam dare* volens, à Deo lepra tactus est. Quemadmodum ergo seruos vanales Romani cretâ, ita diuina Nemesis impios Iudæos lepræ notauit. *Et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix, ex formosa herouide in luridam & monstruosam laruam commutata.*

§. II.

Lepram Iudæorum olim, multas ob causas, fuisse monstruosam.

Vitium autem istud lepræ monstruosum fuisse, varia ostendunt. Nam 1. cuiuscumodi le-

Num. 12.

10.

4. Reg. 5.

27.

2. Reg. 3.

29.

4. Reg. 15.

5.

Num. 32.

19.